



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. XXXIX. de cens. exact. & procurat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

AD TIT. XXXIX.

De Censibus, Exactionibus & Procuratoribus.

Ad num. 1. in fine adde. Tributorum genera consueta sunt quatuor. *Census* à capite seu capitando dictus, impositus personæ in signum subjectionis. *Tributum*, quod solvitur de fructibus terræ. *Velligal*, quod penditur pro reparatione viarum, pontium. *Pedagium*, quod impenditur pro earundem viarum custodia & securitate. Franc. de Arauxo *disp. 12. diff. 2.* ex Dominico Soto.

Ad num. 3. in fine adde. Episcopi & ceteri Prælati Ecclesiarum novos census in eis imponere, aut aliquam partem fructuum sibi reservare nequeunt. Gonz. ad cap. prohibemus 7. h. r.

Ad num. 5. in fine adde. Ex jure naturali tenentur alere Regna suos Reges, & tribuere subsidia necessaria; est enim Rex pastor ovium rationalium, Sicut igitur pastor jus habet, ut de ovium suarum lacte & vellere alatur, ita & Rex ut de suorum bonis superfluis ad instar lactis & velleris, quæ ovibus superflua sunt. Item Respublica comparatur ad Regem, ut nutrix ad infantem, quem de suis uberibus lactat, qui jus habet sugendi lac pro sustentatione necessarium, non tamen sugendi nutricis sanguinem, quem natura dedit pro ipsius matris seu nutricis conservatione. Unde in Proverb. qui nimis emungit, elicit sanguinem. Franc. de Arauxo. *de stat. Civil. disp. 12. diff. 2. n. 1.*

Ad num. 9. in princ. adde. Ad cap. 6. h. r. Observa quod Cardinales fuerint inferiores Episcopis ordine & dignitate ulque ad tempus Clementis V. Unde non mirum, quod Cardinales in isto capitulo postponantur. Ab Andler. in Jurispr. Rom. *de stat. Hom. p. 1. n. 21. & seqq.* Hic ordo recensetur. Evaristus titulos Presbyteris distribuit, septemque Diaconos constituit Anno 267. Dionysius Parochias assignavit & Episcopis Dæceses constituit. Marcellus titulos Presbyteris datos ad 25. reduxit, qui ab initio Cardinales dicti, quod ab his tanquam Cardinibus Ecclesia DEI dirigeretur. Bonifacius III. Cardinales uti Senatores mirificè extulit. Innocentius IV. circa Annum 1244. ut equo insidentes rubro galero uterentur statuit, in signum, quod parati sint pro Religione sanguinem effundere. Paulus II. vestem coccineam cucullo insignem adjecit, ut hac quoque cum rubenti petaso spectabiles essent. Sunt quidam Cardinales Episcopi, quidam Presbyteri, quidam Diaconi. Primi vocantur fratres Pontificis, reliqui autem filii; Antiquior autem Decanus, plura ibi. Franc. de Arauxo *de stat. Eccl. tract. 2. q. 15. n. 19.*

Dignitas Episcopalis est suprema in Ecclesia; etiam respectu Cardinalatus. Glin Can. quanquam 2. q. 7. & n. 20. Ita ut usque ad tempus Bonifacii VIII. Episcopi non creabantur Cardinales, ne descenderent.

* * *

* *

3

AD